



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
Iesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

XXIII. Probatur idem ex consensu Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

nam; & tamen pertinacissimè negent, posse, aut debere offerri Deo, quasi non sit omnino exploratum & certum, debere Deo offerri id, quod habemus optimum.

CAPVT XXIII.

Probatnr idem ex consensu Ecclesie.

POSTREMA ratio, eaque meo quidem iudicio efficacissima apud illos omnes, qui non nimis sibi placent, quosque superbiæ fumus non omnino excæcauit, sumitur ex consensu, & testimonio totius Christianæ Ecclesiæ, Græcæ, Latinæ, Barbaræ; quæ per annis mille floruit. Nam aduersarij fatentur Missam sacrificiam vt nunc est, sacrificium esse. Id habent expressè Lutherus in primo seripto contra Regem Angliæ. Caluinus lib. Instit. cap. 18. §. 1. & Kemnitius pag. 774. & alij. Missa autem vt nunc est, tempore S. Gregorij Papæ I. absoluta est, vt Kemnitius fatetur pag. 826. & 827. vbi de Canone Missæ disputat & constat à tempore S. Gregorij nihil ad Canonem Missæ ditū esse. Porro Gregorius ante annos circiter mille floruit ergo testimonio aduersariorum, Missa pro sacrificio haberi cœpit in Ecclesia, ab annis vt minimum mille.

Fuisse autem hanc sententiam receptam non in sola Roma, sed in toto orbe terrarum, fatentur etiam aduersarij nam ided Lutherus in libro de captiuit. Babyl. cap. 1. *Missa inquit, creditur passim esse sacrificium, quod offeritur Deo. Cedunt his dicta sanctorum Patrum, tot exempla, tantumque per orbem constanter obseruatus.* Et infra: *Nec moueat, inquit, quod totus orbis contrarium est sensum, & usum habet.* Et in principio libri de abroganda Missa, seu potius in epistolâ didicatoria eius libri: *Magnum est, inquit, certe tot seculorum consuetudini, tanta multitudinis sensui, tantorumque autoritati reluctari.* Et paulò infra apertè dicit se esse solum contra orbem terrarum; sic enim sibi ipse obiicit: *Tu solus sapienter ne errant vniuersi tanta secula ignorauerunt?* Sic etiam lib. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. *Pestilentissimo, inquit, ore Satan totum penè orbem excæcauit; Et crederes Missam sacrificium, & oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum.* Et paulò infra: *Congredi me lectores intelligentes cum ea opinione, qua Romanus Antichristus, et eius Prophe-*

totum orbem imbuerunt. Et infra §. 18. dicit, hanc sententiam, quod Missa sit sacrificium; inebriasse omnes Reges terræ, & populos à summo vsque ad nouissimum.

Et quamuis aduersarij id non dicerent, res tamen certissima esset. Constat enim apud Latinos semper fuisse eandem Missam, ex iis, qui diuersis temporibus illam exposuerunt, Ildoro, Amalario, VValfrido, Ruperto, Hugone, Innocentio III. Bonauentura, & aliis: & similiter apud Græcos id clarissimè constat, ex Maximo Monacho, Germano Constantinopolitano, Simeone Thessalonicensi, & Nicolao Cabasila; & nunc demùm ex censura Orientalium ad Confessionem Augustanam, cap. 13.

Ex hoc igitur principio certissimo, & ab aduersariis concesso, nempe Missam habitam esse pro sacrificio ab annis vt minimum mille, in toto orbe terrarum, sequitur necessariò, si non est verum quod nos docemus, PRIMO Ecclesiam totam petiisse, & Christum sponsam suam, & hæreditatem amisisse: non enim Ecclesia Christi esse potuit, quæ palàm idololatriæ tot seculis seruiuit. SECUNDO sequitur falsa esse vaticinia Prophetarum Osee 2. & aliorum, qui prædixerunt post Christi aduentum idololatriam cessaturam. TERTIO falsam Christi promissionem Matth. 16. *Porta inferi non preualebunt aduersus eam.* & Angeli Luc. 1. *Regni eius non erit finis.* QUARTO falsam Apostoli sententiam 1. Timoth. 3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis. QUINTO Sanctos omnes, qui plurimi his postremis seculis vita, & miraculis floruerunt, idololatrias, impios, & sacrilegos fuisse. SEXTO Deum qui tam multa futura, & minus necessaria illis reuelauit, hoc tamen mysterium summè necessarium nulli omninò, quamuis sanctissimo viro, ante Lutherum reuelasse. Quod si hæc absurdissima sunt, & nullo modo credibilia, certè sequitur, vt verum sit quod nos cum Ecclesia Catholica docemus: quod sanè etiam aduersarij intelligerent, si non omninò in reprobum sensum dati essent. Istam enim consequentiam nulla ratione negare possunt; Orbis terræ ab annis mille credidit Missam esse sacrificium; ergo vel Missa est sacrificium, vel ab annis mille desit Christi fides esse in terris; petiit Ecclesia; rediit idololatria; vana fuerunt Prophetarum, & Christi ipsius oracula.

Yyy

CAPVT